

Lorenz Johann Friedrich Dihn

**Lutherana Religio Sub Imagine Petræ Ab Alto Eminentis : Cum Lemmate:
Fluctibus Tacta: Non Fracta : Oratione descripta, atqve in Secundo
Lutheranorum Festo Jubilæo : In Academiæ Rostochiensis Auditorio Majori
Anno M.DCC.XVII. d. XI. Novembr.**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1717]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002512581>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 11.Nov.1717
Dihn, Laur. Joh. Frid.

34 3

LUTHERANA RELIGIO

SUB IMAGINE

PETRÆ AB ALTO EMINENTIS,

CUM LEMMATE:

FLUCTIBUS TACTA: NON FRACTA.

Oratione descripta, atqve in Secundo
Lutheranorum Festo Jubilæo

In Academia Rostochiensis Auditorio Majori

Anno M. DCC. XVII. d. XI. Novembr,
publice recitata

1717

LAURENT. JOH. FRID. DIHN,

S. S. Th. & Phil. Cult.



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC.
& UNIV. Typogr.

LUTHERANA
RELIGIO

SUB IMAGINE

PETRAE AB ALTO
EMINENTIS

CUM LEMNATE

REUCTIBUS TACTA: NON FRAGTA.

Oratione descripta, sive in Secundo
Lutheranorum Festo Jubilaeo

Publice recitata
Anno M. DCC. XVII. d. XI. Novembris.
Joh. Christianus Roschke, Auditor Major

LAPIDEM JOH. FRID. DIRM.

2 S. Th. & Pall. Cate.

Honoch, Typ. Joh. Weydow, SEN. X. PRINC.
& Weydow, Typogr.

Magnifice Domine RECTOR,
Illustri Regiminis Ducalis, Utri-

usque Senatus & Ecclesiæ Splendidissimi & Amplissimi
Procures, Viri Per - Illustres, Summe Venerandi,
Præ-Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Ex-
cellentissimi, admodum Reverendi, Præcellentissimi,

Domini, Patroni atque Fautores summo honoris
cultu suspiciendi. Tuq; Generosa Dominorum
Commilitonum Corona.



Utheri nomen initium
sermonis incipit in ore omnium,
quotquot Lutheranam imprimis
Religionem in toto terrarum or-
be profitentur, atque sententi-
am, si qua auditur hoc tempore,
claudit nomen Lutheri,

Postquam enim celebritas gloriosi illius nominis Anno
supra millesimum quingentesimum decimo septimo,
oppida, urbes, agros peragrare cœpit, tantum omnino
abfuit, ut memoria ejus obliteraretur, ut habitet adhuc
in animis, atq; colloquiis Senum, juvenum, Doctorum,
indoctorum, Superiorum inferiorum frequenter in-
terfit. Qvod si ista luce, qua hostes multa crudeliter
impieque facientes vel reprimuntur, vel cohibentur; &
ista, inquam, luce Ducis rem fortiter & prospere gerentis
honorifica, quoties recurrit annus, mentio fieri solet:
admirabilem nostrum Heroem, Heroem sine exemplo,
Lutherum, quis hodie non admirabitur, celebrabit,
evehet? Illuxit per Summi Numinis gratiam bru-

A

male

male illud tempus, illuxit auspiciatus ille mensis, illuxit, quod magis solenne, illuxit ipsum Tertium jam Seculum, postquam repressit primum atque refrenavit impios atque perversos Pontificiorum, summa imis, cœlum terra in rebus sacris miscentium, conatus. Nam Megalander ille noster divino quodam instinctu concitatus atque impulsus Anno 17, quo tanquam corona Seculum XVI & mense quidem Novembri, quo Annus 17. velut diademate fulget Propositionibus quibusdam arcis Wittebergenfis templo affixis, contra Indulgentias Papales, quæstum istum perditissimum, disputare cœpit publice. Quid vero memorabilius, quid admirabilius, quid excellentius? Talem virum laude multo dignissimum Musa omnino vetat mori. Nobis igitur ~~in~~ ne videatur, quod eruditorum imprimis voces laudibus Lutheri impleant omnia atque penetrent. Sed audiunt hac tempestate eruditi, audiunt docti, qui nihil minus, quam venerabile illud nomen merentur. Qua propter a vere doctis, a laudatis laudari, ea demum vera laus erit. Cicero Demosthenem, & Demosthenes si Ciceronem eveheret, quis aures (ut cum Comico loquar) non arrigeret? cum uterque sua non sit defraudandus laude? Miramur merito & sedulo sub pectore reputamus elogium, quod Luthero Melanchthon tribuit: POMMERANUS, inquit, *est Grammaticus*, JUSTUS JONAS *est Orator*, EGO *sum Logicus*, sed LUTHERUS *est omnia in omnibus*. Hæc, inquam, verba miramur & attentè auscultamus, quippe qui non ignoramus, qualis ipse fuerit Melanchthon; quantus autem bone Deus, quantus vir! Audivimus A. si respiciamus eloquentiam, Cicerones & Demosthenes; sin vero probitatem spectemus Melanchthones per hoc dierum spatium audivimus

mus. Relatum me legere memini de auditoribus Pythagoræ, magni illius inter Veteres Philosophi, quod non nisi audientibus illum 6. annos, quærendi, nedum publice dicendi data sit potestas. Quis vero me non accusabit vel audaciæ vel procacitatis, qui quidem triennio adhuc nondum integro peracto ad pedes tantorum in hac Alma Præceptorum sedens, in tam amplissimo tam splendidissimo confessu ex his rostris lectissima Nobilissimorum Commilitonum corona cinctis dicturus surgam? Verum, vocem omnium tacentium audio, video, exosculor. Confirmat enim Vestra attenta Benignitas & animat meam tenuitatem isto: Liceat hodie anseri strepere inter olores, modo perstrepat Auditorium, perstrepat hæc subsellia, perstrepat hæc Cathedra & personet de Luthero. Lutheri autem vita est quasi copię cornu, ex quo innumeri iique jucundissimi pariter ac doctissimi possunt depromi meditationum fructus; in quibus autem eligendis alii feliciores; in exponendis sunt alii aliis præstantiores. Loquuntur alii de duro, quo usus est Lutherus, adolescentiæ initio; Dicunt alii de egregiis ac inusitatis, quibus fuit præditus, animi dotibus: Prædicant alii mirabilem illius constantiam & invictum mentis robur: Faciunt alii verba de divino, quo flagravat, zelo doctrinam puriorum restaurandi, propagandi, defendendi. Magna autem magnos decet. Quæ fuerunt summa in Luthero, summi illo viro, summi illi viri his diebus dixerunt bene, distincte, ornate. Ego quidē ne Dædaliis quasi subvectus alis præceps concidam, si de Luthero dicendum, delectarer non maximo, sed quod forte minimum in Luthero, quid in Luthero? extra Lutherum fuit, nempe insigni illius. Hoc dicunt, repræsentasse

Rosam cum cruce, cui quis hæc vult addita verba:

Cruce conjuncta rosæ, mens est invicta Luthero,

Lætitiâ notat hæc; illa jugum Domini.

Vel hoc tantum Lutheri infigne explicaturo potest nec materia deesse nec verba: verba cum ipse suppeditet Lutherus & materiam. Conscenderet enim Cathedram & exponeret, quid sibi velit *Cruce illa*. Diceret ut alia taceam, quæ querulus in sinum Spalatini deposuit, quod nempe totum Anti-Christi regnum, Pontifex, Episcopi, Sophistæ illi adeo fuerint infensi, ut nec vitæ quidem quam tamen Jobo diabolus reliquit intactam, parcerent. Est, ita enim scribit, Est hîc Judæus apud nos missus sub pretio bis mille aureorum, ut me veneno perdat, ab amicis mihi per literas proditus, Doctor Medicinæ & nihil non audere & facere paratus incredibili astutia & agilitate. EN CRUCEM! Conscenderet cathedram dicturus ipse quid significet ROSA. Quod toties indicat, quoties fortis & intrepidi animi specimina exhibuit. Quin ea, quæ Anno 1518. Augustæ, ubi velut rosa spinis erat circum septus, proficiscens ad Melanchthonem misit verba in medium hic proferam, temperare mihi haud possum. Tu age virum, inquit, sicut & agis & adolescentes recta doce, ego pro illis & vobis vado immolari, si DEO placeat, malo perire, quam ut revocem benedicta. Quibus forte ista illius in vulgus nota haud absimilia. Si scirem tot esse Diabolos Wormatiæ, quot in tectis tegulæ, tamen eo abirem: Usque adeo

Sperat infestis -- alteram sortem

Bene præparatum pectus:

In medio malorum quamvis consistat virtus, nihilo tamen secius persistit. Flos mentis sibi recti conscientie floret

floret sub spinis; viret animus erectus sine viribus
Cruz conjuncta Rosæ mens est invicta Luthero. Quem
ita de Luthero dicturum destituent verba? Quis ma-
teriam si vel de insigni ejus differere induceret ani-
mum. desideraret, quæreret? ne ego quidem, qui po-
tentem dicendi scientiam vix primis degustavilabiis.
Poteram namque pluribus hæc ita prosequi, ut tota,
quæ habenda oratio in considerando illo insigni subsi-
steret. Verum cum in Lutherana Religione vivat
Lutherus, non Lutheri, sed Lutheranae Religionis in-
signia contemplari non abs re alienum videtur. Sed
& hic delectu est opus. Etenim si Lutheranam Religio-
nem ante Lutherum consideraverimus, insigne illius Sa-
lamandram ob oculos ponit, in ipso furentissimo Papa-
tus igne & illæsum & integrum cum lemmate:

Non læditur igne.

Sin vero flectamus mentem ad istos, qui Religioni Lu-
theranae in ipso Papatu ante Lutherum fuerunt dediti,
insigni illius portarum figuram quasi insculptam cerni-
mus, cum inscriptione: Vix sunt totidem

Quot Thebarum portæ & divitis ostia Nili.

Fata autem illius varia eaque mirabilia depicturo ipse
Salvator tanquam Archetypon objicit Petram quam a-
pud Evangelistas digito quasi commonstrat. Quid igi-
tur hic delectu, quid inventione, quid excogitatione
opus? Nihil restat, nisi ut addamus epigraphen con-
sideraturi:

Lutheranam Religionem

Sub imagine

Petræ ab Alto Eminentis,

cum lemmate;

FLUCTIBUS TACTA: NON FRACTA.

A 3

Dum

Dum autem A.O.O.H. cogitationes meæ in mari versantur
ventum secundum, Auram Benignitatis vestræ, hæc lin-
gua, hi oculi, hæc manus vehementer ex optant. Manus
quidē, ut vobis Petram istam ostendere, oculi, ut lumi-
na sua imperterriti Petræ intendere, lingua autem mea
de Petra, quæ latent sub pectore clausa, eloqui ut possit
feliciter. Quamvis tempestate Noachi omnia undæ
inundarent, inundata obruerent, obruta tegerent, atque
adeo liberius ubique furerent; montes tamen ac petræ
quamvis submersæ integræ tamen in ipso perdurabant
diluvio: cacumina enim eminebant tandem atque
conspiciebantur. Ubi erat Religio Lutherana A. H.
ante Lutherum? latebat in ipso diluvio. Papatus velut
spissus imber latius se diffundens terras, quocunqve
incidebant oculi, inundaverat, repleverat, submerser-
rat. Sed eminebat tandem Petra, emergebat tandem
ex profundissimo isto mari Religio Lutherana: Emer-
gens autem fluctibus supra quam dici potest, tangeba-
tur. Tantum enim quod veritatem cœlestem ex lim-
pidis haustam fontibus restaurare atque propugnare in-
stituerat Lutherus, cum non guttatim, sed catervatim
& turmatim undique confluerent hostes, tot procellæ,
tot fluctus, quot Balticum nostrum, quot ipse Oceanus
vix continent. Quemadmodum autem tumescentes
& in montem vel petram irruentes fluctus alii Leonis,
alii Draconis, alii Ursi, alii Lupi alii aliam aspectu hor-
rendam repræsentant figuram: Ita sane & hostes, qui-
bus Lutherana Religio est tacta, mihi videntur. Si quis
autem est, cui sint centum linguæ oraque centum & fer-
rea vox, is quæso recenseat omnes ac singulos; aut si
quis Apelles potest omnes fluctuum figuras pingere, is
ducat hic lineas: mihi quidem nonnullos tantum
hostes

hostes nominatim exposituro atque penicillo quali quali depicturo, obversatur statim primo intuitu torvus Tetzeli velut Basilisci cujusdam vultus. Hic ratus, secum Indulgentiis Papalibus, nonnisi tactis atque præcipitatis, qui Petram resurgentem ab insurgentibus defendere fluctibus conabantur, furere haud posse, Lutherum primum eumque acerrimum defensorem præcipitem in Acheronta agere & instituit & molitus est enixe. Si Lutherus solo Basilisci afflatu potuisset occidi, primo statim Tetzeli conspectu occubuisset. Evomebat enim iste in Beatum nostrum quicquid calumniarum, quicquid convitiarum, quicquid furoris fingi poterat & excogitari. Cum vero Lutherum non visu & sibilo iri occisum intelligeret, cælum & aëra suo halitu annitebatur inficere. Theses enim Thesis Lutheri oppositas componit, fallor, ipse non composuit, sed a Conrado Wimpia corradendas curat, corrasas evulgat suo nomine & publici juris facit, Lutherum hæreticos crimine compellaturus, suasque merces, quibus velut vino non vendibili suspensa hedera opus erat, expositurus. Sed postquam sensit Tetzelius, non se, sed Lutherum invenire emptores, inconditum condidit librum, in quo virus mortiferum Religioni Lutheranae affare satagit sub Titulo: *Verlegung gemacht von Johan Tetzeli/Prediger-Ordens-Kezer-Meister wieder einen vermessenen Sermon von 20. irrigen Articuln* Sed halitu in se ex speculo quasi reflexo occiditur Basiliscus. Non enim solum in sermone ipso, sed in vindicatione etiam ejus, quam Lutherus sub rubro luci edidit: *Freyheit des Sermons D. N. L. Pabstl Ablass und Gnade belangendt wieder die Verlegung / so zum Schmach desselben Sermon ertichttet / errores & calumniae Tetzeli Tetzelio*

tzelio ob oculos luce clarius positi resultant in Tetzeli-
um & occidunt Basiliscum. TACTA SIC EST
RELIGIO LUTHERANA: NON FRACTA. At
vero una gutta non cavat lapidem, nec unus fluctus,
quamvis Basilisco simillimus, est movendæ & pe-
nitus concutiendæ petræ: Alii fluctus Tetzelio forte
fortiores fuerunt. Monumenta enim Historiarum Ec-
clesiasticarum docent, infinitos propemodum alios ex
Pontificiis (cæteros enim mea non curat Oratio) Docto-
res atque Sophistas velut Angves, Urfos, Dracones, Lu-
pos confidentiùs dico, cum ipse Salvator istos ita
vocet in petram nostram insurrexisse, eam tangendo
& si fieri potuisset frangendo. Qvosquos autem hostes
veritatis, quosquos Doctores, quosquos artifices pro-
duxerim, iis certus sum, & in sinu jam gaudeo, iis be-
luis & in sectis id adjungi jubebitis, quod non nemo
fluctibus scopulum ambientibus apposuit: TANGE-
RE: NON FRANGERE. Quid enim potuit Jaco-
bus Hogostratus, inquisitor Dominicanus contra Reli-
gionem Lutheranam? potuit tangere. Tetigit
eam edendo librum, in quo velut fluctus ignito Dra-
coni similis in haud fucatam nostram Religionem inve-
hitur & in volat, exhortans Papam, ut ferro atque igne
adversus Restauratorem veræ Doctrinæ utatur; Sed
frangere non potuit. Fortiter enim contra eum Lu-
therus suum strinxit calamum: Ito, inquit, infelix
& cruenta parricida qui nihil nisi sanguinem sitis. Ita
duro nodo, durus erat quærendus cuneus! Quid po-
tuit contra Religionem Lutheranam Eccius magni in-
ter Pontificios nominis Theologus, Doctor ab illis ve-
nerandus Disputator acutissimus? potuit tangere. Cum
enim Anno 1517. celebris illa Disputatio Lipsiæ institu-
eretur

eretur inter Theologos Lutheranos & Pontificios Ec-
cius velut venenatus callidusque Anguis subdolis
strophis , artibus , amphiboliis , Baroco & Bocardo
usus est solertissime. Sed adeo non fregit Luthera-
nam Religionem Eccius , ut potius a Melanchtho-
ne ac Luthero aliisque nostratium , quasi serpens
transfixus frustra reluctaretur. Quid potuit con-
tra Religionem Lutheranam Cajetanus Cardinalis ?
Potuit tangere. Videtur enim imitatus Scorpio-
num naturam ; utpote quos rerum naturalium pe-
riti dicunt , utroque brachio id amplecti leniter ,
quod occidere intendunt truculenter : Ita sane Ca-
jetanus tot blanditiis , tot palpis , tot adulationibus
Augustæ Lutherum excipiens , nonnisi ruinam Lu-
theranæ Religionis venabatur. Tangit Lutherum
leni quasi brachio , ut Scorpionis dentibus frangat
Lutheranam Religionem. Sed num fregit ? non
fregit. Etenim non ad exitium , quod inimici qui-
dem unice in votis habent , sed ad exercitium Lu-
theri , nostri , ille Cajetanus vel *invitus* fe-
cit , quicquid haud *invitus* fecit. Quandoquidem Lu-
therus verissime judicabat , ex sententia Augustini , ini-
micos sibi in bonum datos usum. Ex quo capite , ho-
minū favore plane insuper habito , DEI gratiam , DEI
clementiam optabat , quærebat. Opus hic sane non
est verbis ; rerum testimonia adsunt , Beatum no-
strum vel inter amplexus Cajetani adamantinum
fuisse. Ita enim iterum iterumque Cajetanum allo-
quebatur : Nonnisi convictus , & meliora ex Scriptu-
ra S. edoctus , quiescam. Quid tandem autem Pa-
pa potuit contra Religionem Lutheranam ? Hujus
aspectus me multum terret : quem enim non terre-
bit Medusæ caput ? Quid autem potuit contra
Religionem Lutheranam ? potuit eam tangere. Ni-
hil

B

hil

hil enim magis ad Lutheranam Religionem ex-
stingvendam pertinere ratus, quam si extirpa-
rentur funditus atqve e medio tollerentur Luthe-
ran, anathematis fulmine statim percussit Lutherum,
Bullam duriozem edendo, qua & Lutherus & omnes
Lutheranæ Religionis Patroni, fautores & asseclæ ex-
communicari, & prout ille quidem volebat, ad orcum
relegati. Quid? ut ne veritas cœlestis, quam Luthe-
rus aliique recte de rebus sacris sentientes Doctores,
aureos condendo libros in aprico ponebant, aliis il-
lucesceret; scripta illa lecturos, honoribus, functio-
nibus, dignitatibus voluit privatos atque exutos.
Quid moror? compendium illius Bullæ hoc erat: A-
page Lutheranam Religionem! Lutheranos ad leo-
nes! Lutheranos ad leones! Tacta proh! sic est Reli-
gio Lutherana satis crudeliter. Sed tangant Petram
nostram fluctus illi horrendi, torvi, truces. Fulmi-
net Papa: Furiant Episcopi. Confluant omnes in u-
niversum Anti-Christi satellites, fremant, debachentur
tua malitia, sua sævitia in Lutheranos adeoque in
Lutheranam Religionem, tangere potuerunt & tan-
gere possunt, sed non frangere. Nempe dum & ore
& calamo fervebant tunc temporis Pontificii atqve
sæviebant, dum moliebantur, dum cogitabant; Pe-
tra nostra in Holsatia, Dania, Scania, Norwegia, Svecia,
Bohemia, in pluribus Germaniæ partibus, quin
in toto terrarum orbe caput quasi erigens in sub-
lime identidem crebescens fastigium. Excutitur ubiq;
jugum Pontificis: Abolentur superstitiones: Relegan-
tur abusus, quos Lutherus vocat, omnes. Euge! Euge!
**TACTA SIC EST RELIGIO LUTHERANA:
NON FRACTA.** Vento fluctus ad petram agitanti
non nemo apposuit epigraphen; **DAT HIC FRAGO-
REM**

REM. Poteram forte hæc non sine elegantia & suo pondere ad nascentem & quasi adolescentem Ecclesiæ Lutheranæ statum transferre. Fluctus illi, Papa, Episcopi, Doctores Pontificii, Sophistæ & id pessimum genus hominum Religioni Lutheranæ, quicquid machinarum, quicquid damni intentaverant, irritum videntes, fore sperabant & confidebant, ut excitatis contra Petram nostram Principum animis, feliciore rerum suarum gauderent successu. Dicebant taciti: Cæsar, Reges, Electores, Principes dabunt fragorem; hi, hi robur & vim & efficaciam conatibus nostris suppeditabunt. Hac dulci spe bilem, animum suum Decimus inter Papas, Leo, lætabat. Quo fiebat, ut ante omnia istum Principem ac Dominum, illum Electorem, in cujus terris cacumen Religionis Lutheranæ primum videbatur, in suas sibi attrahere partes, manibus pedibusque allaboraret. Properat, quaerit, invenit satellites. Ad Electorem Fridericum Sapientem, cujus generosam & excelsam memoriam veneramur hodie devotique osculamur, misit Papa Milititium Equitem Misnicum, Cubicularium suum. Hic eximio quodam munere onustus; quid enim pretiosius a Pontifice poterat offerri aurea illa Rosa, sancta illa Rosa? hic inquam Milititius Lutherum Electori invisum reddere, doctrinam ejus in teterrimæ hæreseos crimen adducere, hic precibus nullis parcendo sollicitare Electorem, flagitare, hortari jubetur, ut Lutherum capitis damnet, damnatum aut in carceres conjiciat, aut gravissimo mactet supplicio, aut denique vinctum tradat. Sed

ut fulvum cognoscitur ignibus aurum:

Sic sane hoc duro Lutheranorum tempore fides Fri-

B 2

derici

derici conspiciebatur. Somniabat quidem Pontifex, se mitra Papali pro pileo Regis olim Septentrionalis posse apprime uti, ut, qua ex plaga vellet, ventum excitaret. Sed fuimus Troës: Tempora jam fuerunt Mythica, Sancte Pater! Frustra laboras, anxie dum allaboras, ut ex terris Saxonice oriatur ventus quidam impetuofus: Perperam sentis, dum constantiam vento similem; dum Electorem Sapientissimum vertumnum putas. Ne sit tuæ Sanctitati mirum, quod Fridericus Sapientissimus in consilium, quos habet sapientissimos, adhibet, Convocabat enim A. O. O. H. Elector vel e longinqvo senes eruditissimos, Doctissimos; Consultabat, quos notitia rerum sacrarum non tinctos sed imbutos noverat. Sciscitabatur sollicite & quærebat quid agendum, quid statuendum, quid de singulis Fidei Articulis, maxime autem de iis, in quibus Lutherana Doctrina a Pontificiorum Dogmatibus distat, sentiendum? tantum aberat, ut blanditiis & calumniis & insurrectionibus Pontificiorum propatulas statim præberet aures. Sententia autem in aliis a lumine Belgico, Erasmo, qui quid æra lupinis distarent, probe callebat, hac lata: Juste a Luthero Indulgentias, cæterasq; superstitiones culpari, doctrinam vero, quam ipse profiteretur, albo sane notandam calculo; Elector puriorem hanc Doctrinam, Petram nostram servare, servatam tueri, dum Spiritus Generosissimus artus regeret Inviçtissimos, statuit tecum, firmiter, animose, fortiter: **TACTA SIC EST LUTHERANA RELIGIO: NON FRACTA.** Utinam vero Reges, Electores, atq; Principes, quos Pontificiorum colluvies in Petram nostram stimulare nihil prætermisit, omnes ita rem gefissent!

fissent ! Verum austerus quidam Boreas aures, quid dico aures, animum obtundit ! Georgius Dux Saxoniae, Pontificiis mirifice indulgens spumantes quasi efficit fluctus : Hic dat fragorem : Quatit & ferit Petram nostram nimium quantum. Ejicit enim Dux omnes veritatis Evangelicæ præcones atque assertores; Exarat sua ipsius manu literas ad Electorem Fridericum, quarum utraque pagina, singulæ lineolæ quodlibet, dicam enim quod res est, quodlibet jota plus quam Catalinarium aut Vatinianum in Religionem Lutheranam produnt odium. Quid ? quod in turbulento Ecclesiæ Lutheranæ mari sævire necdum desinit, sed pergit. Quandoquidem errores atque superstitiones, quibus sepultus est Papismus, corroboraturus Lipsiæ, ne Religio Lutherana ulterius capiat incrementum, colloquium instituit Georgius, confirmans suos, ut conferant, quicquid ad opprimendam, quicquid ad frangendam Religionem Lutheranam posset facere. Non vero fracta abs Georgio Lutherana Religio, quamvis mille modis tacta. Vide enim mirabilem Summi Numinis Providentiam ! Proponebat Dux : Disponebat Deus : Altius insurgebant fluctus, æquabant fere Petram, quin superabant altitudinem, cum præter spem exoptatus atq; singularis fieret refluxus. Ventus remittebat : Georgius salum & solum relinquere jubebatur. Eminebat tum Petra. Religionem quippe Lutheranam omnis amplectebatur Misnia, quæ hætenus Ducis diras metuens languescebat sub Papatu. Ambulabat in Festo Pentecostes terra ista in luce veritatis Evangelicæ, quæ in Paschate cœcutiebat & in tenebris errabunda vagabatur. O miram ! o faustam ! o felicem rerum vicissitudinem ! Sic

Ludit in (^{humanis}) divina potentia rebus!
TACTA EST RELIGIO LUTHERANA: NON
FRACTA.

Rei nauticæ periti plurimos numerare consueverunt
ventos, inter quos maxime nobiles notosque continet
versiculus:

Asper ab axe ruit Boreas, furit Eurus ab ortu,

Auster amat medium solem, Zephyrusque cadentem.

Ego quidem Historiarum tantum non penitus ex-
pers in numerato haud habeo omnes, quotquot Re-
ges ac Principes Religioni Lutheranae fuerunt infensi.
Interim quaternarium istum numerum facile invene-
ro vel circa Reformationis tempora; si istos fluctus
mihi exponendos statuissem, quos Henricus VIII. An-
gliae Rex motos voluit. Quis enim ignorat, eum gra-
viter & in vitam & praecipue in Doctrinam Lutheri
invehi in Assertionem pro Defensione Sacramentorum.
Omitto etiam Ferdinandum, Bohemiae Regem, utpote
qui in clathris Religioni Lutheranae ponendis fuit to-
tus assiduusque. Furit autem Eurus ab ortu. Carolus
V. tanquam oriens quidam turbo auribus auditur
meis. Nam illum fuisse impetu quasi concitato per
omne temporis spatium, quo fasces Imperii tenuit Ro-
mani, in Religionem Lutheranam latum, nemo me
quidem iudice, erit, qui diffiteatur. Equidem non
obscuras propensi illius in Doctrinam nostram animi
significationes vidit orbis, praedicat vel hodie quaelibet
haud immemor posteritas. Tam certum enim est,
quam quod certissimum, nisi artes Pontificis & Cleri
Romani, quos eludere Maximus Imperator maxime ar-
duum putabat: nisi universalis, quam moliebatur, Mo-
narchiae studium, nisi denique eminentissimus ille De-
fensoris

foris Fidei Titulus, quo præter augustissimum invictis-
simumque Cæsaris nomen corruscabat, impedimento
fuisse, multa tunc temporis sperare Lutheranam
Religionem potuisse. Sed Pontificiorum sentina ni-
mium pro! apud Imperatorem potuit. Carolus
enim imbutus opinione propagandi Pontificiorum
Doctrinam commodum potius erat rerum, cum ma-
gnam Petræ nostræ minitaretur fragorem. Quo
enim Comitium, quæ statim post impositam sibi coro-
nam Imperatoriam Wormatiæ habebantur, vale-
bant? hoc volebant, ut Lutherana Religio deleteretur,
petra frangeretur. Nemo quidem dubitabit id im-
mortali Imperatori tribuere laudi, quod Lutherum
Wormatiam abiturum præsidio literisque salvi con-
ductus muniverit: sed A. H. in Religionem Lutheranam
cudebatur faba. Omnia eo spectabant, ut Lutherus,
abjurata vera Doctrina palinodiam caneret. Immo-
bilis autem immobili Scripturæ Petræ Beatus Vir fir-
miter insistens neque blanditiis, neque technis neque
minis durissimorum cruciatuum moveri se patieba-
tur, quando quidem Luthero, ut cum Poëta canam,
robur & æs triplex

circa pectus erat,

qui non timuit præcipitem Eurum,

Decertantem Aquilonibus.

Ita namque Cæsarem alloquebatur: Weil den Eu-
re Kayserliche Majestät eine schlechte/einfältige/richtige
Antwort begehren / so will ich die geben so weder
Hörner noch Zehne haben soll/nemblich also: Es sey den
dass ich mit Zeugnissen der heiligen Schrift oder mit
öffentlichen hellen und klaren Gründen überzeuget und
überwiesen werde / so kan und will ich nichts wieder-
ruffen.

ruffen. Hæc audientes Pontificii, obstructis quasi auribus eructabant illud: Crucifige! Crucifige! O si Cæsar hîc fuisset Zephyrus! Sed furit Eurus ab ortu: Lutherus quamvis incolumis dimissus, redux tamē ad suos proscribitur tanquam pessimus Hæreticorum Architectus Si unquam Religio Lutherana tacta, hac tempestate tacta. Nam Cæsar, quo proscriptioni suæ pondus quasi adderetur, omnibus interdixit, ne Lutherum proscriptum reciperent, receptumq; tegendo gravissimas sibi attraherent pœnas. Hic erat Rhodus, hic saltandū! Siste Viator: Luthere, quo tendis? Abi in cellulam & Dic: Miserere mei. Quisquis te offendet, is te trucidabit impune. Ad quem confugere audes? quia nemo in capitis, fortunarum, dignitatis discrimen tecum se præcipitem aget. Actum est, Martine, de te, & de ista, quam tam pertinaciter defendis, Doctrina. Scilicet, inquit Lutherus; Tangitur Religio Lutherana, non autem frangitur: Ich kan und will nicht schweigen/ als der ich gewiß bin/ daß durch solch Decret Gottes Wort verdammet ist; darum will ich mein Leib und Leben / Stumpff und Stiel darüber fahren lassen/ den Gottes klar und wahr Wort übergeben. TACTA, TACTA SIC EST RELIGIO LUTHERANA: NON FRACTA. Ut ventus est natura fortior, ita & vehementius spirat. Acie autem Imperatoria nihil acrius, nihil esse fortius, Carolus V. & in hac Reformatione satis quidem, non autem sine lugubri luctu Lutheranorum significavit, demonstravit. Furit Eurus ab ortu Wormatiæ, furit etiam Spiræ: sed Spiræ, tradunt, furere illum vehementius, quam Wormatiæ. Comitia enim iterum celebrantur: Proceres Imperii Romani, imprimis qui a partibus Lutheranorum stabant, jubentur

jubentur convenire : Durum illud Wormatiense Decretum
urgetur rigoroſe exequendum. Ruina Petrae paratur ul-
tima & imminere jam videtur, nec quicquam reliquum;
modo ſubſcribant Status illi Ceſſimi. Sed audio vocem
Beatam : Proteſtamur! Proteſtamur! Quis emittit
illam? Statores, Defenſores Fidei, Vicarii DEI: Johannes
Electoꝝ Saxoniae, Georgius Marchio Brandenburgeniſis,
Erneſtus & Franciſcus Duces Luneburgeniſes, Philippus
Haſſiae Landgravius, Wolfgangus Princeps Anhaltinus,
Ordines alii Lutheranæ Religioni addicti, Proteſtamur,
inquiunt, Proteſtamur contra omnes fluctus, contra om-
nes inſultus, quos Lutheranæ Religio debet ſentire.
TACTA SIC EST SPIRAE LUTHERANA RELIGIO: NON FRACTA. Obmutescant autem
hic, qui nobis obſtrepere non dubitant diſtitando, Summos
Magiſtratus res Reformationis ſuo tantum meſos eſſe
commodo, Quamvis enim Principes illi ac Ordines Euro-
reliquisque Aquilonibus haud eſſent pares: Divinum
tamen Numen mirabilem & maxime ſtupendam Princi-
pibus inſpiraverat conſtantiam, ut hoc magno rerum diſcri-
mine eo majores alacrioresque ſumerent animos, quo ma-
gis ſe impares Imperatori intelligerent. Cedere bonis &
ipſum ſpiritum effundere erant parati, modo Religionem
Lutheranam tuerentur atque defenderent. Domus arenae
ſuperſtructa fluctibus ſemel & iterum tacta vacillat, concidit:
Sed Petra noſtra, Religio Lutheranæ, firmiſſimo nixa fun-
damento inſignienda eſt inſcriptione: QVO MAGIS, EO
MINUS. Si quidem ſatis non habebat Imperator, quod in Co-
mitiis Wormatieniſibus ac Spireniſibus Religionem Luthe-
ranam labefactare tentaverat, ſed & Auguſtae Vindelico-
rum fuit Euris ab ortu. Quando cum ibi Confeſſio pu-
blice prælegeretur, Imperator invictiſſimus ipſe præſens
C
aufcul-

auscultabat non attente solum, sed & amplexurus videbatur nostram Religionem. Unde enim ista lacryma? Unde istud suspirium: *Wolte Gott/ daß man in der ganzen Welt so lehrete!* Verum si Consilia, quæ audita Confessione nostra cœpit Cæsar, consideraverimus accurate, voluit Religionem Lutheranam deperditam fractamq;. Freqventer & tum in ore habuisse videtur illud: **PLUS ULTRA! PLUS ULTRA!** Scilicet in extirpanda nova hæresi; ita enim audiebat Religio Lutherana. Quod nempe Anno haud longe præcedenti inter illum & Ferdinandum Fratrem atqve Regem Gallia, ideo maximam partem ex custodia liberatum, convenerat, id exequendum statuit Imperator Carolus. Quandoquidem idem cornu cum Pontificiis inflans, ut qualis qualis Refutatio Confessionis confarcineretur, jubet, imperat. Ad Petram nostram opprimendam frangendamque animantur omnes; Confluunt undiqve fluctus, quævis dira, quævis dura minitantes; Tacta sic est Religio Lutherana Augustæ supra quam dici potest: Non autem fracta. Nam omnes Confessionis Confessores stabant intrepidi, quibus adscribere potuissimus: **SEMPER IIDEM.** Ne latum quidem, quod ajunt, unguem Elector, Principes ac Ordines a vera religione discedentes ultima pati parati. De militibus Alexandri legimus relatum, cum abscissam & præruptam Petram a Sogdiane occupatam nulla superarent via, quod post multas de liberationes inter faxa cuneos ferreos defixerint, Orationis Alexandri memores: Naturam nihil constituisse tam alte, quo virtus non posset eniti. Certe easdem de nostra Petra cogitationes volutabant Pontificii; **DEUS**, inquiunt, tam alte non constituit Religionem Lutheranam, ut nullo modo possit superari. Alia ingrediendum via, quia hac parum processit. Ad cuneos, clamitant, ad ferrum! Ad
arma

Arma ! Ad Arma ! Sic enim Polus Cardinalis in Oratione
quædam Carolum V. suadendo eo adducere non erubuit, ut
Turcico bello misso, Bellum adversus Hæreticos, nempe
Lutheranos inciperet. Nec defuerunt, qui ab isto tempore
Imperatoribus, Regibus, Principibus, talia cruenta semper
suppeditarunt consilia. Liber Canonici Marchdorffensis
sub titulo: Deliberatio de hæresibus extirpandis, adhuc
in manibus est. Dantur & hodie Bellarmini, quibus stat
sententia illa crudelis: Ab arboribus esse suspendendos
omnes, qui Papæ adversantur. Audiamus in præsentî
tantum, quæ Jesuita quidam Anno 1566. ad Maximilianum
II. Imperatorem fecit verba: So lange/eructabat iste, So
lange dein Pferd nicht bis an den Bauch in der Luther-
schen Blut schwemmen wird / so lange darffstu dir keine
Gedanken machen/das du Glück und Sieg haben werdest.
O consilium execrandum ! detestandum ! pessimum ! Hinc
A. O. O. H. Hinc illæ lacrymæ ! Hinc cruciatus ! Hinc
Persecutiones ! Qvis vero Persecutiones ? quarum, teste
magnæ fidei Historico, ita sunt multæ, ut martyrum nume-
rum inire difficile sit. Quis lanenas ? sane infinitas offen-
dimus Parisiensi illi non absimiles. Qvis cruciatus ? quo-
rum tot extant documenta. Qvis bella ? quo referendum
imprimis Schmalcaldicum & Trecennale. Qvis strages ?
Qvis carceres ? quis planctus ? quis cruciatus ? quis la-
crymas ? stupet animus ! hæret lingua ! Qvod autem in
Comitiis Augustanis impudentes minitari non dubitarunt,
Sie wolten unsere Augspurgische Confession nicht mit
schwarzer / sondern rohter Dinte schreiben ; Id egerunt
postea satis, Deum immortalem ! superque. Mea quidem
Oratio cogenda jam in gyrum singula non capit capita,
quæ suppliciis atque tormentis crudeliter affecta, quorum
Catalogum suppeditat M. Joh. Beck in dem Lutherthum vor

Luthero. Nec vacat cogitationibus meis ad Italiam propere horribilium modorum visendi causa, quibus impius Pius quartus inter Papas in occidendis ac mactandis purioris doctrinae asseclis est usus. Neq; magis in Angliam abeo, in qua offenderem Mariam Reginam ne infantibus quidem in utero matris adhuc clausis parcentē, quippe quæ gravidas in ignem coniectas dedit mulieres. Neq; verto oculos versus Poloniam, ubi Clerus Pontificiorum mirifice est debachatus in Religionem Lutheranam. Nec tandem in Bohemiam proficiscendum mihi duco, in qua tot clades, tot incendia, tot persecutiones perpeffi sunt Luther. Religioni addicti, quot ne Argus quidem uno contemplari ictu sustineret. Lumina mea exteris terras non quærunt, Germaniam sibi habent obversantem. Hanc intuentur unice, hanc lustrant sollicitē. Possum enim A. H. de Germania vere prædicare, utinam non possem, quod olim dixit Augustinus de toto terrarum orbe: Purpurata est, inquit, universa terra sanguine martyrum. Ita sane gemiscens contendere possum: Purpurata est universa Germania sanguine Lutheranorum. Quis enim potest numerare occisos & trucidatos in agris ad Mülbergam? Purpuratæ sunt urbes Germaniæ sanguine Lutheranorum. Quis te circumvallavit Magdeburgum? Pontificius miles. Quis te oppugnavit furiose Magdeburgum? Pontificius miles. Quis cives tuos crudeliter mactavit Magdeburgum? Pontificius miles. Quis senes tuos, quis juvenes tuos, quis viros, quis fæminas indignissimis & dictu horrendis tractavit modis Magdeburgum? Pontificius miles. Taceo cæteras urbes A. videns enim vestram patientiam jam læsam integras sum considerataras regiones. Purpuratæ enim sunt & integræ regiones sanguine Lutheranorum. Ad quam autem Germaniæ provinciam oculos vultis intendam? Cujus in præfenti, festinat namque Oratio, religionis

gionis mentionem faciam § Revocat autem me quidem
ad sui memoriam Mecklenburgum. Hæc dulcissima ter-
ra, hæc dulcissimum natale solum me

ducit & immemorem non finit esse sui.

Cave, inquit, fili cave, ut tacitus ne prætereas, quot calami-
tates, quot misérias, quot afflictiones, quot fluctus sustinuerim
imprimis bello trecennali propter Religionem Lutherana-
m. Cæsarius miles me tantum non evertit funditus at-
que delevit propter Religionem Lutheranam. Oppida diri-
puit, spoliavit propter Religionem Lutheranam. Pagos &
agros est depopulatus propter Religionem Lutheranam. Ur-
bes & ussit & expugnavit & divexavit propter R. L. quid?
quod Musarum mearum circulos turbavit propter R. L. Con-
cioniones sacras atq; conventus publicos dissipavit propter R.
L. O Calamitatem! O miseriam! O tempora! O mores!

At vero sit tibi solatio charissima Patria, quod Lutherana
Religio eminens sit Petra, quæ


haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
oppugnant, manet illa: suo fat pondere tuta.


Hac stante, hac durante, durabit autem; nam necipise in-
ferorum portæ eam frangere poterunt, stabis & tu, & stas,
quod gaudemus in hoc Jubilæo, quod exultamus, quod tri-
umphamus, & stas in hunc usque diem. Sed dum in Ec-
clesia militante Petra tangitur fluctibus fluctus sunt propel-
lendi. Propellent eos Doctores, Professores, Concionato-
res. Hi quasi stant supra Petram porrigentes librum cum
inscriptione: *Ἐξέρχου Βεβαίωται ποτὶ τὸν ἄνετον ἄνετον 203 ον.* Propel-
let eos Serenissimus noster Dux, Pater Patriæ, Patronus Pe-
træ, quem Deus in seros usque annos teneatur potentissime,
coronet splendidissime: Hic stat supra Petram tenens gla-
dium, cui insculpta leguntur verba: **VIRTUTE COMITE.**
Propellet etiam fluctus Imperator semper Augustus; tra-
dens


dens Germaniæ scriptum, cuius Titulus: PAX OSNA-
BRUGENSIS. Propellettandem, cuius nutu omnia & diri-
guntur & gubernantur, Propellet, inquam, omnes fluctus
Summus Protector atque Defensor ipse Deus. Imaginem
quidem quam nemo homo vidit nec videre potest, non vi-
deo, sed vocem audio: VERBUM MEUM MANET IN
ÆTERNUM. Ut mare sæviat & æstuet, urbs tamen Dei,
Petra Dei manebit immota: RELIGIO LUTHERANA
QVAMVIS TANGATUR, IN ÆTERNUM TA-
MEN NON FRANGETUR.

Qvod reliquum est A. O. O. H. Vobis obstrictum, qua
deceat animi submissione, me habeo, atque in observantiæ
pignus totum trado, quod Vestra Præsentiæ cogitationibus
vela: quod Vestra Attenta Benignitas cursui animam
denegare noluit, ita, ut Oratio portum, quem flucti-
bus diu satis involuta petiit, possit jam vento
appellere secundo.









faciam ꝛ Revocat autem me quidem
 Mecklenburgum. Hæc dulcissima ter-
 ram natale solum me
 immemorem non finit esse sui.
 ve, ut tacitus ne prætereas, quot calami-
 as, quot afflictiones, quot fluctus sustinuo
 lo trecennali propter Religionem Luthere-
 niles me tantum non evertit funditus at-
 que Religionem Lutheranam. Oppida diripi-
 unt propter Religionem Lutheranam. Pagos &
 vicus propter Religionem Lutheranam. Ur-
 gnavit & divexavit propter R. L. quid
 arum circulos turbavit propter R. L. Con-
 conventus publicos dissipavit propter R.
 ! O miseriam! O tempora! O mores!
 tio charissima Patria, quod Lutherana
 t Petra, quæ
 oles, quam magno murmure fluctus
 et illa: suo fat pondere tura.
 rante, durabit autem; nam necipia in-
 n frangere poterunt, stabis & tu, & flax,
 hoc Jubilæo, quod exultamus, quod tri-
 s in hunc usque diem. Sed dum in Ec-
 ra tangitur fluctibus fluctus sunt propel-
 eos Doctores, Professores, Concionato-
 t supra Petram porrigentes libram cum
Beßandm... idu... ddy... Propel-
 s noster Dux, Pater Patriæ, Patronus Pe-
 ctros usque annos in eatur potentissime,
 me; Hic stat supra Petram tenens gla-
 leguntur verba: VIRTUTE COMITE.
 ctus Imperator semper Augustus; tra-
 dens